



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VIII. Literae per quas actor minores reditus petit, si in illis nomen suae dignitatis supprimit, nullum ius debent obtinere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

cessante, diffiniatis: & canonicos, quoniam ausi fuerunt  
mandatum nostrum eludere, & per surreptionem huius-  
modi literas impetrare, quod nuntius eorum plenius re-  
cognouit: ad metum & pœnam aliorum, expensas, quas  
monachi nunc ad nos \* mittendo fecerunt, eis, remoto  
appellationis obstaculo, reddere compellatis.

CAP. VII. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Sane si a nobis super aliqua causa litera prius impetren-  
tur, & alia postea, non facta mentione priorum literarum,  
litera obtinentur, si iudicibus innotuerit, donec Roma-  
num pontificem consulant, & suam exinde plenius recog-  
noscant voluntatem, executione literarum debent peni-  
tus superfedere, ne \* pro varietate literarum, causarum fi-  
nes valeant impediri.

CAP. VIII. *Item Lucius tertius Lincolnensi episcopo.*

Ad aures nostras, te significante, peruenit, quod pluri-  
mi archidiaconi, præcentores, vel ecclesiastici præditi dig-  
nitatibus, super minoribus beneficiis per interpositas per-  
sonas, literas impetrantes, nomen suæ suppressunt digni-  
tatis, & simplici nomine se appellant, tamquam non ha-  
beant aliquem in ecclesia ista personatum: itaque rescripto  
nostro postulas edoceri, si fraus ista tacendi præiudicium  
ei debeat generare. Tuæ ergo consultationi taliter respon-  
demus, quod cum non sit nostræ intentionis, vt personæ  
pluribus redivisibus abundantes, per literas nostras paupe-  
res clericos super minoribus beneficiis vexent, literas in  
quibus auctor nomen suæ dignitatis suppressit, vires ali-  
quas nolumus obtinere.

CAP. IX. *Idem Eboracensi archiepiscopo.*

Si autem aliquis auctoritate posteriorum literarum, per  
aduersarium ad iudicem tractus, obiecerit se priores ha-  
bere, de quibus mentio non habetur, si eis dolo vel negli-  
gentia vti proposuit, excusari non debet. Si autem co-  
piam iudicis delegati habere nequiverit, per posteriores  
literas non poterit conueniri.